

Nota del Editor: Abrimos este número de Estudios Clásicos con una contribución del profesor Michael von Albrecht, leída en la Universidad de Alcalá con motivo del *X Conventus Academiae Latinitati Fovendae*. Por tratarse de una bella defensa del conocimiento y uso del latín, hecha ella misma en un excelente latín por uno de los más eximios latinistas, el Consejo de Redacción ha estimado de todo punto procedente que encabece estas páginas.

«Omnium plagarum, quibus scholae nostrae affliguntur, nulla gravior aut doctrinarum quoque studiis funestior esse possit, quam si languidius rariusque in Latine scribendi exercitiis versari iubeamur. Nam discipulorum pensis diminutis fieri non poterit, quin ex magistrorum quoque opere tantundem remittatur. Quo fiet, ut magistri ipsi primoribus tantum labris scientiam attingant, nam quodcumque studiis seriis detrahetur, falsae scientiae addetur, usque eo, ut ne id quidem studeant, ut linguarum quam peritissimi sint neu linguas intento studio discere velint. Haec autem est vivae linguarum peritiae consuetudinisque mors, hic nobilissimi ingeniorum exercitii interitus. Nam tali linguarum institutione omni diligentia atque subtilitate spoliata ne id quidem consequemur, ut scriptores recte intellegere possimus. Inde ipsa linguarum institutio inanis quaedam umbra atque species fiet, qua mores non minus quam doctrinarum studia corrumpantur.»

Haec Caroli Friderici de Naegelsbach¹ vaticinia, in ipsa philologiae aurea aetate scripta, quam vera evenerint, nemo nostrum nescit. Omissis tamen naeniis id potius spectemus, quomodo doctrina ac disciplina nostra, philologiam dico, linguae Latinae usu atque consuetudine adiuvetur.

¹ Karl Friedrich von Nägelsbach, *Lateinische Stilistik*, praefatio, p. IX-X. Quae praefatio ex prioribus editionibus repetita est

DE LINGUA LATINA IN PHILOLOGIA LATINA ADHIBENDA

Vellem quidem, amici linguae Latinae amantissimi, Europae renascentis patres atque auctores sermonem Latinum communem Europae linguam fecissent. Nam si Francogallicam elegissent, Angli irascerentur, si Italicam, Francogalli, si Hispanicam, Catalani, si Germanicam Russicamve, omnes; Latina autem lingua sola sine ullius nationis invidiâ eligi poterat. At nunc Anglica lingua regnat, non quidem illa Shakespeariana (qua nil magnificentius aut dulcius), Wildeiana (qua nil urbanus), Shawiana (qua nil acutius), sed longe alia quaedam, - quae tamen iudicio vulgi pulchritudine Italicam, structura logica Latinam, maiestate Hispanicam, puritate Russicam, subtilitate in philosophia Germanicam, lepore et urbanitate Francogallicam, orthographiae facilitate et pronuntiandi commoditate omnes superare videatur - , unde tamen non ea quae exspectari poterat invidia, sed (incredibile dictu) mirus quidam omnium amor natus est: vix enim dici potest, quanto favore nunc tota Europa linguam Anglicam amplectatur usque eo, ut et docti in ipsâ patriâ patrio sermone spreto ex cathedris Anglice sibilent (et in permultis disciplinis libri non scribantur nisi Anglice) et indocti se tum demum pulchre loqui putent, cum verbis patriis Anglica quam plurima immiscuerint, quin etiam verba Anglis inaudita inveniunt velut «handy» pro telephono cellulari et «wellness» pro corporis cura bonaque valetudine. Cuius omnium favoris maxima victima est lingua Anglica. Quae quidem quo facilius videtur esse frõnibus, eo difficilior iis, qui aliquid in discendo profecerint, peritis denique omnium difficillima. Plerique tamen Anglici sermonis elegantiarum ignari omne studium ad id conferunt, ut sermonem patrium non minus quam Anglicum corrumpant. Quis talia videns aut risui aut lacrimis temperare possit? Sed non Anglica lingua nobis nocet - quid enim summis Anglorum scriptoribus elegantius? - , sed nostra stultitia et Latine scribendi neglegentia.

Etenim sermone patrio bene loquendi scribendique facultas illo tempore amissa est, quo a lingua Latina colenda descivimus. Scholas enim Latinas ab imperatoris Guilelmi Secundi, viri stultissimi, odio bene defenderunt Mommsenius Wilamowitzusque; neque demagogorum pessimis, qui post illum fuerunt, contigit, ut gymnasium classicum funditus everterent; quod nos nunc demum libertatem nacti nullo cogente ipsi perfecimus. Initium tamen tot

malorum infelicissimi illius vicesimi saeculi fuit Latine scribendi usus e scholis sublatus; nam chriis – quae dicebantur - Latine scribendis ea componere discebant, quae ipsi diu secum reputantes invenissent disposuissent exornassent; quibus exercitiis sublatis factum est, ut aliena tantum verba repetere discerent, id quod dictatoribus gratissimum fuit. Artis enim rhetoricae usu atque exercitatione spoliati, demagogorum falsa promissa praeconiaque perspicere non poterant, unde mille mala nata sunt.

At si Latinum sermonem linguam communem Europae fecissemus, neque ulla esset inter gentes invidia (nam lingua Latina nullius nationis propria et omnium communis est), neque vana illa et perversa institorum et pseudopoliticorum omnia vendentium loquacitas, qua et hominum et linguarum vita occiditur, Europam invasisset, sed omnes diu multumque secum meditentur, antequam loquerentur vel scriberent. Quod quoniam iis, qui res publicas gerunt, non placuit, id studendum, ut inter philologiae saltem Latinae studiosos hic sermo communis sit. De eo, quod *argumentum invidiae arcendae* appellari potest, satis dictum esse puto.

Sequitur *argumentum ex rerum memoria* repetitum: ac primum quidem eorum, qui philologiae Latinae studebant, per plurima saecula nemo sermone Latino non usus est. Deinde commentarii Latine scripti etiam nunc ab omnium gentium philologis leguntur, verbi gratia non solum Servii, sed etiam Heynii et Wagneri commentarii Vergiliani. Tum saepissime accidit, ut optimus quisque commentarius Latine conscriptus sit (velut Ioannis Ludovici de la Cerda Toletani commentarius Vergilianus, Lugduni annis MDCXII-MDCXIX divulgatus). Denique hodie quoque commentarii Latine scribuntur, cuius rei exempla recentia sunt commentarius in Persium ab Helgo Nikitinski et commentarius Vergilianus a Rutgario Niehl compositus.

Neque nego aliis quoque linguis optimos commentarios esse conscriptos, sed Francogallica et Germanica (id quod abhinc quinquaginta annis quis erat qui crederet?) nostris temporibus minus quam debent legi video - quid enim commentariis Vergilianis a Plessis et Lejay editis utilis? quid libro *Aeneidos* sexto Nordeniano vel Horatio Richardi Heinze praestantius? - ex quo facile colligere possumus, quale fatum post alios centum vel ducentos annos libris etiam Anglice scriptis immineat.

At Latine scripti libri legentur, dum Latinarum litterarum studia manebunt. Neque dubium est, quin viri docti Arabes, Indi, Sini, Iaponi, Mexicani litterarum Latinarum studiosi facilius libentiusque commentarios Latine scriptos lecturi sint quam eorum linguis conscriptos qui Biblia prae se ferunt, machinarum foetorem post se relinquunt. Quare non est quod commentarios Latine scribendi morem nostris temporibus renasci miremur. Quod non nos, senes decrepiti, vetustissima quaeque admirantes, molimur, sed adulescentes maxime strenui, quibus fata nepotum cordi sint. Hactenus de argumentis historicis.

Quid, quod, cum hodiernas philologias circumspicimus, idem fieri videmus? Hoc est illud quod *argumentum ex analogia petitum* appellaverim: nam ii, qui philologiae Anglicae student, Anglice plerumque scribunt, ut ab omnium gentium viris doctis, qui Anglicis litteris student, intellegantur, item philologiae Francogallicae studiosi Francogallice, Germanicae Germanice, Russicae Russice. Quidni Latinae Latine?

Huic argumento vicinum ac propinquum est, quod *argumentum commoditatis* dici potest: omnium enim nationum viri docti (qui quidem philologiam Latinam profitentur) sermonis Latini periti sunt. Quare quidquid doctorum in usum scribitur, Latine scribatur. Huc aliud emolumentum accedit: Si omnes ii, qui philologiam Latinam tractant, sermone Latino utentur, non in compluribus linguis hodiernis ediscendis tempus conterent, sed ad linguam Latinam perdiscendam vacabunt.

Etenim vide, quam laboriosum sit, tot Europae linguas discere, ut collegarum scripta legere possis. Quod equidem cum per totam vitam quoad fieri potuit temptaverim - non quidem me oleum et operam perdisse dico (nam et omnium gentium viri docti plurimum ad philologiam augendam contulerunt et linguae hodiernae pulcherrimae sunt dignissimaeque quae discantur, neque cuiusquam rei me paenitet: quae si culpa fuit, felix culpa fuit); id tamen contendo: Nonne facilius erat omnia Latine scribi? Huc aliud commoditatis argumentum addo: Latine discentes et scribentes etiam ceteras linguas facilius discemus. Tertium autem postea videbimus: nam linguâ Latinâ defendendâ facilius ceteras Europae linguas defendemus. Cum commoditatis argumento autem coniuncta sunt

Argumenta ex rerum naturâ petita. Quid enim magis naturae congruens quam de litteris Latinis ea lingua loqui, qua conscriptae sunt? Quod cum faciemus, primum non in hodiernarum linguarum verbis quaerendis tempus conteremus, quae quidem necesse est non esse propria neque ad res Latinas accommodata - quis enim nescit nullum ullius linguae verbum perfecte cum vocibus Latinis congruere? -, sed verbis propriis utendis ad rerum etiam veritatem propius accedemus.

Deinde naturae congruens est verba Latina Latine explicari, ut in lexico Oxoniensi Anglica Anglice, in Laroussiano Francogallica Francogallice explicantur. Latina autem Latine explicando ipsi quoque Latini sermonis peritiores fiamus consuetudoque altera natura fiet, primo in magistris, tum in iis qui discunt. Non enim obliviscendum est linguae peritiam habitum esse quendam animi, habitum autem non minus ratione quam usu atque exercitatione formari. Quare iis, qui philologi fieri volent, omnis occasio captanda erit Latine loquendi et scribendi. Nam recte loquendi optima magistra scriptio, recte scribendi lectio.

Denique, quoniam ad lectionem defluxit oratio, quaerendum est, sitne naturae consentanea consuetudo illa scholastica omnia statim ex sermone Latino in linguam vernaculam vertendi, qua consuetudine in singulis horis sescenties cogimur, ut ex altera in alteram linguam transeamus. Qui transitus quam difficilis factu sit, omnes mihi adsentientur, qui pluribus linguis utuntur. Quam rem ne peritissimis quidem interpretum facilem, tamen cottidie discipulis nostris continuo faciendam imponimus. Et miramur adhuc illos per tot annos neque linguam Latinam neque linguam vernaculam bene discere! Aliud enim est intellegere verba Latina, aliud in linguam vernaculam vertere; quae duae res utilissimae sunt, sed temporibus inter se separandae. Etenim naturae congruens est in una lingua immorari innutririque neque more desultoris ex altera in alteram transilire, id quod hominibus in duarum gentium confinio natis accidit, qui utriusque linguae periti sibi videntur, cum utramque corrumpant, neutram calleant. Qui morbus in scholis male vertendo augetur. Quare in docendo ea, quae ad textum intellegendum pertinent, Latine tractanda et a vertendo in linguam vernaculam separanda sunt, non enim nisi omnibus rebus Latine expositis explanatisque textus Latinus linguâ vernaculâ reddendus erit. Qui

labor secundus – neque minus gravis – totus in sermone patrio excolendo (et a sermone Latino distinguendo) versabitur. Qua in re id agamus, ut et sermonis Latini et sermonis patrii indolem summa cum vigilantia diiudicemus omniaque vitemus, quae aut contra sermonis Latini aut contra sermonis patrii naturam sint.

Est igitur illud «vertere» res difficillima quidem et longissime ab hominis natura remota, utilissima tamen ad elocutionem in utraque lingua acuendam, dummodo utriusque linguae indolem atque naturam religiosissime observemus. Qua in re Naegelsbachii divinum illud opus, quod *Lateinische Stilistik* inscribitur, magno adiumento esse poterit. Longe enim a ceteris veterum stili Latini compendiis discrepat eo, quod discipulorum animos non a scribendo deterreat, sed iis locis demonstratis, in quibus uberrimi verborum locutionumque fontes inveniantur, et thesauros absconditos investigandi fervorem et discendi alacritatem et bene scribendi amorem excitat. Ceterum multa eaque praeclara exstant adiumenta Latine scribendi loquendique, e quibus paucissima exempli gratia afferantur velut Ioannis Öberg *Lingua Latina per se illustrata* (in aedibus Domus Latinae, a. MMI) et Andreae Fritsch *Index sententiarum ac locutionum* (Saraviponti MCMXCVI) et Milenae Minkova compendium quod inscribitur *An Introduction to Latin Prose Composition* (Londinii, a. MMI). Huc mox addi poterit Nicolai Vulcani *De chria* commentatio in codice manu scripto in Italia a me reperto servata. Cuius artem rhetoricam maiorem (cui nomen *Sagata Pallas*) iam ediderunt discipuli mei Thomas Feigenbutz et Andreas Reichensperger (Tubingae, a. MCMXCVII). Ars autem minor, quae *De Chria* inscribitur, mox primum edetur ab eodem Thoma. Quae et brevis et utilis erit iis, qui in Latine scribendo non singulorum tantum enuntiatorum sed totius contextus structurae operam dare velint. Interea in chriis componendis iis consiliis uti poterimus, quae a Hermanno Menge in Appendice editionis paenultima *Repetitorii* traduntur, sed a novissimo editore eiecta sunt. Magna enim artis Latine scribendi pars in enuntiatis argumentisque recte disponendis et callido particularum usu inter se coniungendis versatur. Quae ars atque scientia – quae a linguarum hodiernarum peritis «syntaxis textuum» appellatur – a philologis una cum chria Latina reiecta et oblivione sepulta est – magno cum doctrinae et morum damno, nam populi artis rhetoricae ignari a dictatoribus demagogisque facile circumventi sunt.

Iam ad *Argumentum brevitatis et perspicuitatis* transeo: Maiores quidem nostri, qui sermone Latino imbuti erant, etiam cum sermone patrio uterentur, breviter et dilucide scribere solebant. Quod ipsum Latine scribendo et scriptores antiquos aemulando didicerant.

At nunc vide, quales ambages exquirant quantasque tenebras clarissimis rebus obducant ii, qui linguis hodiernis utuntur. Taceo de Germanis, qui antiquae verborum proprietatis Mommsenianae, Nordenianae, Zielinskianae obliti, dum chrismate pseudonietzscheano vel pseudheideggeriano imbuti nubes et inania captant, ex philologorum officinis in Pseud-Olympum quendam,² quem sibi finxerant, evolaverunt. Ergo mox inter Germanos nemo non poeta philosophusque erit aut sibi videbitur, - haud aliter atque Lucius ille Apuleianus, qui ex homine avis fieri voluit, asinus factus est. Neque ceterae gentes sapientiores. Nam satis mirari non possum, quantum nonnulli Francogalii ab illa dicendi perspicuitate declinaverint (qua olim optimo iure gloriabantur: quae perspicua non essent, Francogallica non esse dicentes); at nunc logophobum quendam Derridam imitantur, quos deridendos putarem, nisi deplorandi essent. Nec minus Angli priscam illam simplicitatem brevitatemque - summas Anglici sermonis virtutes - abiecerunt. Causa autem corruptae hodiernarum linguarum eloquentiae simplicissima est: Latine scribi desitum est, quo factum est, ut suo quisque etiam sermone neglegentius uteretur. Quod saepius in litteris sermone vernaculo conscriptis fieri doleo, quae, cum Latina Graecaque non iam legantur, cote illâ Horatianâ carere videantur, qua ingenia ad summam scribendi praestantiam consequendam acui solebant. Cottidie enim mortuâ illâ praeconum pseudopoliticorumque linguâ per acta diurna et teleorasin diffusâ obruimur, usque eo, ut Musae frigeant nec multum absit, quin liberi nostri iam, quid sit sermo vivus, nescire videantur. At iusto iure Durs ille Grünbein poetarum Germanorum hodiernorum facile princeps novam scribendi elegantiam ex scriptorum poetarumque Latinorum elocutione se hausisse confitetur. Videant igitur philologi, ne linguâ Latinâ ex scholis eiectâ illud summorum ingeniorum per tot saecula colloquium (cuius magnum exemplum Homerus, Vergilius, Dantes, Miltonius) interrumpatur, magno quoque cum vernacularum litterarum detrimento.

² Quod, si vocibus fingendis indulgeremus, *nubicularium* vocarem.

Sed iam ad *Argumentum ex re sive ex apto* sumptum transeo: Nullus enim sermo sermone Latino ad scriptores Latinos explicandos aptior. Nam quisquis magnam vitae partem in Germanice, Italice, Anglice vertendis scriptoribus Latinis consumpserit, opus vertendi et difficillimum et ingratum esse non negabit, cum suas quaeque lingua leges sequatur, neque facile pulchram versionem inveniri, quae fida, aut fidam, quae pulchra sit. Summus autem interpretis labor non magis in scriptoribus Latinis recte intellegendis quam in apte sermone vulgari reddendis positus est. Scriptores ergo Latinos sermone vernaculo reddendo non Latine discimus, sed Albanice, Anglice, Armenice, Bohemice, Basce, Bulgarice, Catalanice, Croaticae, Danice, Estonice, Finnice, Francogallice, Georgice, Germanice, Graece, Hebraice, Hispanice, Hungarice, Islandice, Italice, Latvice, Lithuanice, Lusitanice, Neerlandice, Norvegice, Polonice, Raetoromanice, Românice, Russice, Sardice, Serbice, Slovacice, Slovenice, Svecice, Turcice, Ucrainice! O miram Europae linguarum varietatem ubertatemque! Quam omnes Anglice male scribendo diminuemus, Latine docendo scribendoque conservabimus augebimusque. Discipuli enim nostri, dum scriptorum Latinorum verba in patrium sermonem vertent, patrii sermonis copiam explorabunt eamque totam in usum suum vertent.

Eodem igitur modo, quo linguae Europae recentiores tempore renascentium litterarum scriptoribus Latinis imitandis alebantur augebanturque, renascantur omnium nationum litterae, non ex corruptissima actorum diurnorum commentariorumque teleoramaticorum lingua Macci Donaldi culinam semper eandem redolente, quae artis culinarum omnium regionum mors est, sed ex purissimo fonte Vergili, Homeri; Lucreti; Empedoclis; Ciceronis, Augustini, Platonis, Aristotelis, Plutarchi; Plauti, Terenti, Aristophanis; Senecae, Sophoclis, Euripidis; Sallusti, Thucydidis, Livi, Herodoti; Petroni, Longi, Luciani, Catulli, Horati, Sapphus; Ovidi, Callimachi. Neque Mediae Recentiorisque Aetatis scriptores spernendi, nam quaecumque digna putabantur, quae ab omnibus gentibus legerentur, Latine scribi solebant.

Quam rem et discipulis nostrisque nationibus earumque linguis utilissimam et optimum argumentum, quo studia Latina in scholis defendantur, esse concedo. Nulla enim alia via est, qua cuiusque nationis lingua melius aut defendi aut augeri aut amplificari possit.

At philologis voces Latinas et scripta Latina Latine explicanda esse existimo. Ideo etiam in studiorum universitate Heidelbergensi antiquissimum illud ius theseos Latine scribendae conservandum esse et censui et impetravi.

Idem argumentum etiam e contrario probari potest: Nam commentarii sermonibus hodiernis conscripti in vertendis antiquorum verbis maxime versantur. Plurimae autem difficultates, quae ad vertendum pertinent, ex linguarum hodiernarum indole atque natura nascuntur et ad illas cognoscendas plus conferunt quam ad sermonem Latinum intellegendum.

Venio ad *argumentum utilitatis*. Recte enim hodierna Latine scribendi magistra Americana eum, qui Latine scribit, antiquorum scripta melius intellegere dixit.³ Is enim, qui Latine scribit, ad scriptores intellegendos explicandosque eximie praeparatus est. Quisquis enim exercitatione cottidiana elocutionis Caesarianae Ciceronianaeque peritus est, etiam ceterorum scriptorum poetarumque scribendi genera diiudicare poterit. Idemque solutae orationis consuetudine eruditus sermonis poetici proprietates accuratius persequetur perscribetque.

Huc accedit *aliud argumentum ex utilitate petitum*: Quid quod is, qui Latine scribere didicerit, et linguas hodiernas facilius libentiusque discet et sermone patrio sapientius diligentiusque utetur quam is qui numquam Latine scribere temptaverit? Alio enim sermone alioque scribendi genere cognitis et quid patrii sermonis proprium sit clarius dinoscemus et in patrio sermone usurpando meliore iudicio utemur.

Unde transitus fit ad *argumentum morale*, quod *ex honesto* ductum est. Quisquis enim Latine scribere temptabit, mox se plura nescire quam scire sciet. Quo cogetur, ut se ipse noscat et ut alacrior ad rerum veritatem cognoscendam fiat. Rectissime enim Mahatma Gandhi vir honestissimus praeter fidem et caritatem

³ Milena Minkova, *An Introduction to Latin Prose Composition*, London: Wimbledon Publishing Company 2001, p. 3. Cf. eiusdem, «De textibus Latinis componendis» in libro qui inscribitur: *Acta selecta noni conventus Academiae Latinitati Fovendae* (Jyväskylä 1997), Romae 2002, pp.171-185 (de Godefride de Vinosalvo, qui anno circiter MCCX mortuus est).

tertiam virtutem veritatem esse dixit, quam equidem viris doctis, imprimis philologis, maxime colendam existimo. Valedicamus igitur pseudorhetoribus, quos Lucianus iustissimo iure castigavit, quod rebus non lucem afferant, sed tenebras offundant, sequamurque Aristotelem, qui orationis virtutem perspicuitatem esse contendit: ἀρετὴ λέξεως σαφήνεια.

Sed hoc argumentum aliquis magis philosophiam quam philologiam redolere dicat. Simplicius certe et fortius illud Catonis: *Rem tene, verba sequentur*. Idem oratorem *virum bonum dicendi peritum* dixit. Quam sententiam Udalricus de Wilamowitz unâ litterâ additâ in philologum transtulit, quem esse voluit *virum bonum discendi peritum*.

Sed ne nimis Stoici vobis videamur, ecce argumentum Epicureum afferimus: non enim solum honestum, sed etiam iucundum est Latine scribere et loqui. Recte enim Godo Lieberg olim Aretinus nunc Bochumensis haec ad Societatis Mommsenianae Praesidem scripsit: «Instituta Philologiae monentur, ut ordine studiorum discipulis unum Colloquium Latinum frequentandum praescribant [italia autem colloquia anno MCMLV Tubingae ab Hildeberto Hommel me rogante instituta sunt, quem usum Heidelbergam transtuli. *M.v.A.*]. Professores (autem) ... commentationes etiam Latinas, ita omnibus viris doctis toto orbe terrarum faciles intellectu, componant et in lectionibus Latine quoque loquantur, exempli gratiâ lectionem praecedentem breviter Latine comprehendentes [id quod ego quoque per plus quam triginta quinque annos magno cum discipulorum assensu feci :*M.v.A.*]. Si haec facta erunt, discipuli nostri, cum postea magistri in gymnasiis linguam Latinam docebunt et scriptores Latinos explicabunt occasione oblata ipsi Latine loqui volent ac valebunt. Tum discipuli quoque eorum linguam Latinam non iam mortuam existimabunt et eam multo libentius ac facilius quam nunc fit, discent.” Inter eos, qui his litteris subscripserunt, ego quoque fui. Quas litteras Praeses quidem Societatis illius cum omnibus sodalibus benigne per litteras communicavit, at ipsius Liebergii collegae Bochumenses nihil antiquius habuerunt, quam ut aliis litteris divulgatis ab illius sententiâ dissentirent, nullis tamen ad rem pertinentibus argumentis allatis – praeter pecuniam (quae hâc in re nihil refert, nam nos, qui « emeriti » dicimur sicut cicadae paucissimo cibo contenti

sumus, dum cantare nobis liceat). Ac mihi quidem Liebergius et rectissime et nobilissime et humanissime egisse videtur. Quid enim eius verbis moderatius? Sed cum professores quidam Latinitatis eo professores se appellari putent, quod nihil profiteantur neque unum quidem verbum Latine proferant, immo dinosauris duriores neque lenia verba intellegant neque quicquam novi audire velint, iam tempus adesse puto, quo illos somno deditos sine ira relinquamus ipsique alacrius agamus et audacius. Quare hoc addere velim : Toto vicesimo saeculo (omnium infelicissimo) iam satis superque probatum est, Latinam linguam disci non posse, si scripta ex Latina tantum in vernaculam linguam vertamus. Quae somniorum vanitas cum saeculo antiquo mortua est. Non ergo singula colloquia Latina esse praescribenda, sed pluribus locis et diuturnius id temptandum esse puto, quod iusto iure Terentius Tunberg in Studiorum Universitate Lexintonensi instituit: Creanda enim erunt loca et tempora, quibus discipuli Latine tantum loquantur. Quo fiet, ut Latine cogitent, antiquorum recentiorumque scripta facilius legant, libentius discant, rectius interpretentur, philologiam colant.

Restat, ut in ipsius philologiae indolem inquiramus *argumentumque* paulo altius *ex etymologia* repetamus. Est igitur *philologia* vox ex duabus composita (quae sunt φίλος «amicus»] et λόγος [«verbum»]); ergo nihil aliud est nisi amor verbi. Eum autem, qui amat, eius, qui amatur societatem communionemque quaerere necesse est. Quare ipso amore verborum Latinorum ad Latine scribendum impellimur. Non enim more pseudo-platonico verba solâ specie atque mente amare volumus, sed re atque corpore. Huc pauca addenda, quae ad talem amorem non solâ ratione neque oratione, sed rebus demonstrandum pertinent: virtus enim illa, quam Prudentius praeclare «operationem» appellat, teste etiam Cicerone *in usu sui tota posita est*. Nam etiam in linguis litterisque non mortua, sed viva colenda esse censeo. Mortua autem ea appello quae aut nihil aut falsa dicunt - velut venditorum praeconia pseudopoliticorumque promissa. Talibus non verbis, sed verborum cadaveribus lingua hodierna plena est. Viva autem ea sunt, quae per tot saecula tot poetarum, scriptorum, doctorum ingenia ad novas res inveniendas peragendasque excitaverunt: veterum recentiorumque libros Latine scriptos dico, quorum optimi philologis magna voce legendi sunt, codicibus perlustratis edendi, scriptoris inventionem

dispositione elocutione perspectis emendandi, Latinis commentariis explicandi. Neque ἀγωνίσματα ἐς τὸ παραχρήμα scribenda, sed quantum fieri potest κτήματα ἐς αἰεί. Neque nostrae, sed scriptorum Latinorum Graecorumque gloriae augendae invigilemus, et erudiendis nostrarum nationum liberis futurisque earum scriptoribus praeparandis summâ cum diligentîâ consulamus. In discipulis autem educandis id spectemus, ut scriptorum Latinorum opera primo Latine explicent, deinde quam elegantissime sermone patrio reddant, utriusque linguae indole quantum fieri potest diiudicatâ atque perspectâ, tum - haud invitâ Minervâ - patriis quoque litteris specimina novae ingeniorum praestantiae addant. Dixi.

MICHAEL VON ALBRECHT
Universidad de Heidelberg